

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3766

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1273, juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime une charte de donations de Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, donnée à l'abbaye Saint-Étienne de Caen.

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1837.

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 826, p. 192-193.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Guillelmi, quondam Anglorum regis. Normannorum et Cenomannorum principes, vidimus in hec verba :
Quisquis Deo seu pro Deo aliquid præstat, non ipsum a se alienat, sed potius in futurum cum spe vitæ æternæ multiplicandum conservat. Hoc agit pia Creatoris largitas et larga ejus circa creata pietas. Qui, cum bonorum nostrorum non egeat (suus est enim orbis terræ et plenitudo ejus), honorari tamen de nostra substantia, immolarique sibi sacrificium laudis pro nostra salute desiderat. Hortatur nos ut ei serviamus ; tribuit quod pro collatis beneficiis suis ei retribuamus ; quod tamen misericors pater quasi alienum suscipit ; quasi nostrum rependit, in hoc seculo peccata remittens, in futuro centuplum accepturis, seipsum et regnum cæleste promittens. Qua spe ductus ego Willelmus Anglorum rex Nortmannorum et Cœnomannorum princeps, cœnobium in honorem Dei ac beatissimi protomartyris Stephani intra burgum quem vulgari nomine vocant Cadomum, pro salute animæ meæ, uxoris, filiorum ac parentum meorum, disposui construendum. Cui loco, ne divinæ religionis cultura aliquando propter inopiam desit, hoc modo ipsi in posterum mea sollicitudo prospexit. Trado igitur præfato cœnobio villam juris mei Ceusium, Ros, Alemanniam, Pontem Divæ, Cathburgum cum colonis et conditionariis seu liberis hominibus, cum molendinis, aquis, pratis, pascuis, silvis, seu omnibus redditibus et consuetudinibus ad eas pertinentibus, sicut in meo dominio hactenus habui et antecessores mei, et homines quidem duarum præmissarum villarum, videlicet Ceusii et Ros qui francam terram non tenent ad servitium ecclesiæ et monachorum ita liberos et omnino quietos concedo, ut nunquam pro aliqua summonitione expeditionis vel alterius cujuslibet rei ipsum servitium intermittant, nisi ego ipse per me vel per brevem meum abbatem summoneam, quatinus eos nominatim michi mittat et hoc intra fines Normanniæ tantum et nominatim, tantummodo pro necessitate belli ab extranea gente imminens.

Partem quoque burgi trado in qua præfatum monasterium constructum est a muro in directum occidentem versus, sicut via protenditur, qua a veteri Beati Stephani monasterio ad urbem Baiocensem itur, et ea quoque via qua itur ad Britivillam Sancti Michaelis, cum terris et omnibus consuetudinibus de eodem burgo ad me pertinentibus, excepto quod extranei mercatores, de omnibus quæ secunda feria ibi ement et venundabunt, tamdiu quandiu thelonearius ad stationem suam sedebit et mercatores in communi mercato erunt, theloneum ministris qui majori burgo præerunt apportabunt, de singulis plaustris et asinis quæ venalia ligna ferent lignum unum ; Villarium cum omni territorio suo, et de eodem hominum servitia, ut servientes mei, qui ibi manent, michi serviant, et propter servitium monachorum servitium meum non remaneat ; in magno quoque burgo domum Turstini Legrini, et domum molendini de Darnestal cum ipso molendino, et molendinum quod fuit Rainardi ; hæc omnia quieta ab omni consuetudine ; de pratis juris mei tria jugera ad Hulmum ; pratium Brendac, præter ea quæ ad supradictas villas pertinebant ; alveum veteris Ulduni a villa Venuncio usque in Olnam fluvium cum tribus molendinis in eodem factis ; terram Willelmi Pavoth, quam de me tenet Cadomi et Clivillæ ; in territorio Brittivillæ, alodium quem Rogerius Calvus ibi tenet ; in territorio Bracii, terram Willelmi de Landa, alodium quoque quod Lupus tenet in Bilieto et Walmereto, cum parte æcclesiæ ad eum pertinente ; in territorio Curleii terram Willelmi Camerarii ; in territorio Badventi, vineam cum domo vinitoris, quam Hubertus dapifer de me habuit ; in Barbefloth duas mansuras terræ, in territorio de Boseval, alodium Rodulfi filii Anseredi ; in Vileris et in Mara, terram quam ibi tenet Willelmus Crassus ; terram quoque quam habuit Hugo de Rosel, in Grainvilla ; silvam de Malopertuso et de Tortavalle et de Fologia et de Casneto cum aquis et terris seu omnibus ad eas pertinentibus, hac conditione servata, ut monachi ipsius cœnobii ipsas silvas nullo tempore destruunt vel destrui jubeant propter ipsam terram colendam sive inhabitandam retentis in meo dominio cervis, capreolis et apris silvestribus ; decimam de Fredernaco, servitium de terra quam Boselinus de Diva tenet in Vileris et Guarinvilla. Concedo quoque fieri ad opus prefati monasterii mercatum in villa cui Balte nomen est ; in territorio Cadomi feriam trium dierum, ita ut quotiens quilibet horum trium dierum in secunda feria evenierit, totum mercatum magni burgi sit Sancti Stephani. Civitate Rotomagi concedo fieri cellarium unum super Sequanam quietum ab omni consuetudine et habitantes in eo quietos tam in terra quam in aqua per totam terram meam. Concedo quoque domum cum viridiario quam dedit eidem cœnobio in eadem civitate Bernardus filius Ospaci et sex jugeria prati quæ idem dedit ad Batpalmas et domum quam dedit Willelmus canonicus filius Sueni ; in territorio Lireti, hospitem unum cum terra sua, et quattuor arpentos et dimidium de vinea, et unam acram terræ. Intra idem territorium in Audura fluvio, concedo fieri molendina duo, ita ut tantum spacium de aqua remaneat liberum quatinus, quoquo modo aqua sei habeat, convenienter possint per illud spacium ascendere et descendere tam naves quam pisces. Concedo etiam totum alodium quod tenent Osmundus Aculeus, Ricardus et Rogerius in territorio Calvimontis super Divam et etiam totum illud quod tenent, quicumque alodiarum infra leugam Pontis Divæ. In terra Anglorum in comitatu de Devenesire, manerium do quod vocatur Northam ; in comitatu de Dorseta, duo maneria, unum quod vocatur Frantona, et aliud quod vocatur Biencome, in comitatu de Summerseta, in territorio Crucræ decem hyddas terræ et ecclesiam cum omni decima ejusdem territorii ; in comitatu de Wiltesira æcclesiam de Cosham, cum omni terra et decima ad eam pertinente. Concedo quoque in comitatu de Nortfolc manerium quod vocatur Welles, quod dedit prædicto cœnobio Willelmus de Scoeiiis, cum æcclesia de Morthona, et terra cum decima eidem æcclesiæ pertinente in Essesse. Item concedo in comitatu de Essessa manerium quod vocatur Panfella, et in Lundonia quandam terram quæ fuit Levreth, sitam prope æcclesiam Sancti Petri quietam de gelt et de scot et de omni alia consuetudine quæ dedit Walerannus filius Rannulfi, cum decima totius terræ suæ quam habet in Anglia tam pro anima sua quam pro mea. Signum † Willelmi Regis. Signum Willelmi † comitis filii regis. Signum † Lanfranci archiepiscopi. Signum † Odonis Baiocensis episcopi. Signum Hugo†nis Luxoviensis episcopi. Signum Gisle†berti Ebroicensis episcopi. Signum Roberti † Sagiensis episcopi. Signum Alch (sic) † aelis Abrincensis episcopi. Signum Gaufr†fridi Constanciensis episcopi. Signum Roberti † comitis de Moretonio. Signum Rogeri † de Bellomonte. Signum Roberti † comitis de Mellent. Signum Henri†ci de Bellomonte. Signum Hugo†nis de Gorniacio. Signum Walt†teri Giffardi. Signum Ricar†di Abrincensis vicecomitis. Signum Hug†onis comitis. Signum W. comi†tis Ebroicensis. Signum Rogeri † comitis de Montegomerico. Signum Willelmi † de Bretolio. Signum Roberti Auc†censis comitis. Signum Roberti de † Belesme. Signum Hugonis † de Monteforti. Signum Hugo†nis de Grentemaisnil. Signum Nigel†li de Constantino. Signum Willelmi † Dunelmursis episcopi. Signum Ricar†di de Corceio. Signum Willelmi † Crispini. Signum Ingilran†ni filii Hilberti. Signum Alani co†mitis. Signum Willelmi † de Warena. Signum Henrici † de Ferrariis.

In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M^o
CC^o septuagesimo tercio, mense julio.